

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0086
	0084
	0090
	0080
75	
accendere et movere, ac si actu prostrati in ipsis locis sanctis jacerent etc. Haec ad hoc propositum, quia in illo monte valde devoti fuimus, quia opus difficile fecimus et exempla magnarum virtutum vidimus. Postquam ergo resocillati spiritum resumsimus, omnes pariter surreximus, et Officium in processionali signatum cantavimus cum collectis et devotissime prostrati Deum adoravimus et latram Domino Iesu debitam exhibuimus in contumeliam illius arrogantissimi satanae, qui in hoc loco ausus fuit suum et omnium creatorem tentare, et inducere falsis promissionibus, ut procidens se adoraret, ostendens ei in momento temporis, ut dicitur Lucae 4., omnia regna mundi et gloriam eorum dicens: haec omnia mea sunt, at tibi ea do, si cadens adoraveris me. In hoc indulgentias plenariae remissionis habuimus (††).	0095 0075 0135 0035 0185 0585

De regionibus, quas vidimus in illo monte.

Orationibus finitis ecce adhuc una turma militum peregrinorum adscendit ad nos, et dixerunt, si nos non ascendissemus, dudum a loco recessissent. Fuimus autem ex adventu eorum hilariores effecti, quia, si sine nobis recessissent, profecto male stetissemus. Elevavimus autem oculos nostros, et longe lateque per terram circumspeximus, et ad oculum vidimus, verum esse, quod Matth. IV. dicitur, quod mons ille sit excelsus valde. Non enim Evangelista valde diceret, nisi mons excellenter altus esset. Ad omuem autem plagam vidimus loca frequenter in Scriptura nominata (**210 A**). Nam ad orientem vidimus montana Arabiae alta valde, quae per longum tractum ab aquilone in meridiem vergunt. Ex eisdem montanis consurgit mons Nebo, Phasca et Abyrim, in quo Moyses terram sanctam contemplabatur, quem diserte super omnes praecellentem vidimus. Montem etiam Galaath et terram Galaath, quae data est tribui Ruben, Gad et dimidiae tribus Manasse, terram et campestria Moab et Ammon usque ad petram deserti trans Jordanem, haec omnia, licet a longe, ante oculos habuimus, et Esebon et Basan. In parte autem nostra Iordanis vidimus campum magnum Iericho, et alveum Iordanis cum suis solitudinibus, et mare mortuum.

